



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Misericordiae Palativm**

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi  
peristromatibus exornatum

**Gzaeus, Nicolaus**

**Augustae Trevirorum, 1618**

Quod eleemosyna cum alacritate fieri debeat c. 27.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

QVOD ELEEMOSYNA  
CVM ALACRITATE FIE-  
RI DEBEAT.

## CAPVT XXVII.

Prima Condi-  
tio vt Eleemo-  
sina sit Deo  
accepta.

2. Corinth. 9.

Eccles. 5. 18.  
v. 31.

Lib. 3. de sum:  
beno c. 64.

**I**n primis verbum hoc *Ecce* alacritatem designat in dante, quam etiam dominus expostulat vt testatur Apostolus in largitore: *Hilarem enim Datorē diligit Deus.* Et Sapiens idem intimare videtur cum ait: *In omni Eleemosyna hilarē semper prabeas vultū. & infra: absque tristitia responde pauperi.* Hoc idē aptissimē indicauit Isidorus inquitens: *Non est Eleemosyna cum murmuratione prabenda, ne comitante tristitia merces pereat dispensata. Tunc autē benē tribuitur, quando cū mentis hilaritate prebetur.* Quod quidem non ignorarunt Sancti Patres qui cū summa alacritate, vultuq; summē sereno pauperibus subueniebāt, quemadmodum de Sancto Claudio legitur. Hic enim cū Eleemosynā tribuebat, nō dare sed recipere videbatur; Sicq; adolescentis illius moestitiā reprehendebat q̄ auditis Domini Saluatoris verbis: *Si vis perfectus esse vade, vende omnia quae possides & da pauperib⁹, retrò abiit, nec consilij tenorē secutus est ultra alacritatem quam*



q̄ significat verbū *ecce* voluntariam esse de-  
 bere Eleemosynā designat. *Ecce* inquit Za-  
 cheus voluntariē, nō coactus, non inuitus,  
 sine obligatione, sed gratis, liberaliter, &  
 prompto animo dimidiū bonorum meorū  
 Domine do pauperib. Et re vera nisi volū-  
 tariā tribueris Eleemosynā coruis assimi-  
 labo te, q̄ ex voluntate Dei, etiam nolentes  
 Sanctis Patrib. alimēta subministrabāt. De-  
 cet etenim Christianū voluntarie sua largi  
 ri. Sed pro dolor! q̄ multi sunt qui hodie po-  
 tius pauperib' obolū largiuntur, nō amore  
 Dei, sed vt à vexatione liberent. Hos redar-  
 guens tenacitatemq; reprehēdens D. Aug.  
 inquit: *Perfecta est Misericordia, vt ante oc-* Lib. 50. hora  
*currat esurienti cib', quā roget mendicus. Nō 39.*  
*enim perfecta est Misericordia q̄ precibus ex-*  
*torquentur & c. Imitare Deū tuū & c. Ecce ti-*  
*bi venit pluuia antequam roges; descendit v-*  
*bertas nocte dum stertis, dum adhuc in lecto*  
*es & c. iactat cælum & parturit terra tot cel-*  
*laria messium dum nescimus, sic accipimus*  
*& tantas opes comedimus antequam roge-*  
*mus. Et tu homo, modicus est iste panis, & pra-*  
*cibus vendis? non rogauerunt quatuor millia*  
*Iesum in deserto septem panes & paucos pisces.*  
*Nec absimile est q̄ licet paganus præcla-*  
*ro eloquio seneca protulit, inquiēs: Gratus*  
*est*



*Lib. de Benef.* est donum quod venit ante preces. Insuper verbum *Ecce* celeritatem quandam cum alacritate & voluntate denotat. *Bis enim dicitur qui cito dat.* Vnde bene Aufonius Poëta inquit:

*Gratia qua tarda est, ingrata est; gratia namque.*

*Cum fieri properat, gratia grata magis.*  
Et alius huic sententiæ suam quoque adiungere videtur cum ait.

*Si bene quid facias, facias citò; nam citò factum.*

*Proverb. 3.*

*Gratum erit; ingratum, gratia tarda facit.*  
Ad hoc facit reliquum poëtæ: nocuit differre paratis, nec enim procrastinandum est vt bene docet Sapiens; dum inquit: *nè dicas amico tuo: vade, & reuertere & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Idem insonat Gregorius Nazianzenus: *Ne dixeris, rediens redi & crastino die dabo tibi, nè quid inter propositum & beneficentiam intercedat, vna est enim beneficentia qua moram non patitur.*

